

med.

1788.

Kem 3483 (1-14)

540

14

DISQVISITIO IN AVGURALIS MEDICA:  
AN  
**F E B R I S**  
**A PVERPERIO DICTA**  
**PROPRIVM SIBI LOCVM**  
VINDICET  
IN SYSTEMATE NATVRALI?

---

QVAM  
**CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI**  
**IN REGIA FRIDERICIANA**

PRAESIDE  
**D. PHIL. ADOLPHO BÖHMER**  
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI  
A CONSILIIS INTIMIS  
FACVLTATIS MEDICAE SENIORE  
ET H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS  
A. D. V. JVLII CICCLXXXVIII.

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR  
**FRIDERICVS CHRISTIANVS KESSEL**  
RASTENBURGO - BORVSSVS.

---

HALLAE  
TYPIS GRVNERTIANIS.



CONFESSIO DE FIDE  
HABITAS  
A PARVITATE DICTO  
PROTRAHAM AERI LOCUM  
IN SEPTENTRIONIS MATERIA

CONFESSIO CREATIOI ORDINIS MUDIC  
IN REGIA LIBRARICIA

D. PHIL. ADOLPH. BOHMIUS  
TOTINTERRATIUS ET C. S. V. T. S.

PER GRADUS DECIMOS  
SCAMMUS ET ALIAS MUSICA HISTORIAS

ALIAS LIBRARIA  
ET ALIAS LIBRARIA

ALIAS LIBRARIA  
ALIAS LIBRARIA

ALIAS LIBRARIA  
ALIAS LIBRARIA

P A T R I   O P T I M O

P R I M I T I A S

H A S

S A C R A S

V U L T   E T   O F F E R T

F I L I V S   O B S T R I C T I S S I M V S

F. C. K E S S E L.



ПАТРІ ОПІТЮ

ПРИЛІГЛІ

САНКТ

САНДАЕ

САНКТ ПЕТЕРБУРГ

САНКТ ПЕТЕРБУРГ

САНКТ ПЕТЕРБУРГ





## PRAEFATIUNCULA.

**Q**uem finem mihi proposui, libellum  
scripturus, dubito an disertius expri-  
mere possim? quam aurea *Celsi* dictione,  
„cum haec, inquietis, ubi litem inter  
„empiricos ac rationales medicos agi-  
„tatum diiudicaturus est \*), per multa  
„volumina perque magnae contentionis  
„disputationes a medicis saepe tractata  
„sint et tractentur; subiiciendum est,  
„quae proxima vero videri possint, ne-  
„que addicta alterutri opinioni, neque  
„ab utraque nimium abhorrentia, sed  
„media quodammodo inter diversas sen-  
„tentias“.

Quod in plurimis contentionibus deprehen-  
dere licet sine ambitione verum scrutanti-  
bus perinde ut in hac ipsa febris puerperalis  
disquisitione.

Palam est scriptiunculae ratio. Quas  
reliqua sunt, ipsa res iudicat.

§. I.

*Febris puerperarum synonymia.*

**Q**uod morborum haud exiguo, numero, idem febri accidit, quae a puerperio dicitur, ut sub varia passim denominatione apud auctores occurrat pro varia, quam de ejus indole ac natura conceperunt, opinione. Febrem enim lochalem vulgo in Anglia dictam a), lacteam malignam puerperarum b), putridam puerperis supervenientem ex bilioso humorum apparatu vel ex diaetae erroribus c), febrem putridam d), malignam e) puerperarum, uterinam a partu tam humoralem, quam nervosam f), miliarem complicatam g) ad illam, quam puerperii titulo recensuere nostrates, comparaturus miram rerum similitudinem perspiciet sub varia enunciatione reconditam, et novam esse febrem puerperarum ac veteribus praetervisam, ita potissime dubitabit, ut culen-

a) WHITE avis aux femmes enceint, et en couche. Sect. 3. art. 2.

p. 184.

b) LE ROY prem, mem. sur les fievr. aigües p. 198.

c) RIVER. Prax. med. L. XV. C. 24. p. m. 486.

d) RAYM. IO. FORTIS de febr. et morb. mulier. p. 484.

e) WILLIS de febr. c. XVI. p. 76.

f) RAULIN tr. des maladies des femmes en couche. Sect. 3.

Chap. 10. pag. 219.

g) GASTELLIER, tr. de la fievre miliaire des femmes en couche

p. 6.

3

culentissime ex primo ac tertio epidemicorum HIPPO-  
CRATIS erroris testimonium constat.

§. 2.

*Digna labore recentiorum praemia.*

At ne iniurium me geram, febris puerperalis antiquitatem vindicaturus, in recentiorum conamina, id mihi incumbere videtur, ut debitam cuique laudem persolvam, et ANGLIS quidem, inter quos eminent DENHAM, KIRCKLAND, HOME, BACKE, WHITE, HVLME, et GALLIS, quorum agmina ducunt PUZOS, LEVRET, LE ROY, et ipsis NOSTRATIBVS, quorum facile princeps celeberrimus SELLE, cui de omni scientia et arte medica meritissimo viro paucos pares ponendos, anteferendum puto neminem. Theoriam febris puerperarum, qualis olim exhibita est, novis atque iteratis clarissimorum virorum investigationibus non parum nunc auctam esse atque emendatam, quis est, qui non perpetuum habeat, et cum quadam animi sciscitantis delectatione compertum? Hac tenuis parte digna labore recentiorum praemia; at si de fru-  
etu quaesiveris, quem ex ejusmodi investigationibus ars medica cepit; dubito equidem, an scriptorum numero ac labori parem utilitatis rationem censere, de que theoria, artis exercitio commoda, gloriari possis? Primum enim febris symptomata tam varia tamque diversa ab auctoribus referuntur, ut vix duo invenias,





qui similem dederunt morbi effigiem, et aegre discernas, quae propria sint? quae aliena? Deinde de morbi natura, caussis et curatione adeo repugnant inter se ac dissentient au<sup>t</sup>tores, ut cui fidem habeant tirones, quem potissimum sequantur, quem ut ducent sibi proponant, vix et ne vix quidem determinare ausim, cum singuli caussam propriam ita tueantur, ut simul subruant alienam. Fuerunt, qui *lochia* suppressa, imminuta, quocumque modo retenta; alii, qui retentionem vel metastasis in *lactis* ad abdominis viscera; alii, qui caussam aliam; vel *inflammationem uteri, omenti, intestinorum*; vel effluvia putrida accusarent, quae partim ex lochiis in vagina aut circa pudenda retentis, facile putrescentibus, partim ex acri et corrupta bile aut putridis intestinorum folidibus elevantur et *mazzam humorum inficiunt*. Habeo, quae cuique respondeam, quamvis non diffitear, singulorum theoriam ex ipsa observatione esse adornatam. Prout nimirum constitutionem aliquam epidemicam, in qua puerperae eodem fere morbo passim aut multo magis in nosocomiis aërem miasmatibus impurum recludentibus conflicitatae fuerunt, eamque solam observarunt au<sup>t</sup>tores; hoc vel illud febrium genus proprium esse puerarum, facile sibi induxerunt in animum. Hinc bona quidem fide scripserunt, quod ipsis artem facientibus observare contigit; at in eo singuli errant

runt



runt egregie, quod experientiam propriam naturae et veritati magis consentaneam putarent, quam alienam, caussam unicam, obviam scilicet ex serie causarum pro communi, effectum morbi pro morbo, et quod multiplex assignari debebat febrium genus, pro simplice assignarent (\*). Quae cum circumstet rerum conditio, non est, cur metuas, quam olim de morbi maligni notione moverunt clari in arte viri quaestiones, reiterare cāndem de illa *febris puerperarum: an e re medicinae foret, si ista denominatione, certam quamdam morborum speciem designatura, omnino careres?* — quod cum alia suadere videntur, tūm experientia, ut mea fert opinio, postular, quā interdum febrem hanc ante partum incipere edocti sumus h.).

## A 3

## §. 3.

(\*) Ita WHITEO, qui caussam febris puerperalis proximam effluviis putridis tribuit, id quidem largior, in Anglia, ubi viē animali, vinosis, liquoribus et regimine calefaciente frequenter abutuntur, non satis curant corporis munditiem et plerumque angustioribus parum aère perflatis cubiculis includuntur, plebeias in primis puerperas eam ob caussam in febrem putridam subinde incidere. Puerperas vero isto duntaxat febris genere peculiariter et ubique detineri, absolum foret existimare, cum non ubique nec universim eiusmodi vitiae regimen obtineat. Vides, meum de auctorum dissensu iudicium tam parum ab aequo quam a vero recedere.

h) BURSER. de KANILEFELD instit. med. pract. Vol. I. P. I. p. 554.  
555. 559.



Prius, quam ad aetiologyam febris progediar, non alienum esse videtur a re, de historia morbi pauca quaedam praecipere. In ea consideranda veniunt

*i. Febris*, quae nonnumquam febri laetiae praecedit, alias laetiam excipit. Nec desunt observata de febris vel ante partum vel in ipso partu ingressu. Plerumque tamen secundo vel tertio die usque ad duodecimum et decimum quartum post partum adoritur; rarissime si umquam, tertia vel quarta puerperii hebdomade praeterlapsa. Vehementer et fere repente puerperae horrescunt et horrore aut rigore satis diu detinentur. Horrorem comitantur capititis dolor, anxietates, nauseae, vomitus biliosi, viarium prostratio. Interdum revertitur more febrium intermitterantium, sed erraticarum atque irregularium, donec brevi in continuam febris definat remittentem, quotidianam, tertianam, simplicem, duplicatam non raro, hemitritiaeae acmulum. Subinde febris citra horrorem aggreditur et per gradus invalescit, non ita multo post sudoribus putridis se manifestans, quos suspectos ac perniciosos reddunt nauseae, vomitus porracei, fluxus alvi. Horrorem calor ingens exci-

excipit. Pulsuum insignis aequa roboris ac celeritatis diversitas (\*).

2. *Symptomata.* Die secundo a febris ingressu queritur aegra de doloribus vagis lacinantibus in tota abdominis regione, qui ad costas spurias atque umbilicum, immo interdum ad scapulas usque protenduntur; intumescit simul atque elevatur *abdomen*, et aegra nescio, quo *frontis dolore* vexatur. Haec quidem, ex sententia auctorum, signa febris puerorum pathognomonica.

Lochiorum et lactis ratio inconstans (\*\*). Lingua illico alba humida; brevi crusta tegitur mu-

A 4 cosa,

(\*) Ab initio pulsus parum a naturali recedit, paulo tamen pleniior est ac velocior. Malo progrediente parvus ac celer fit, cum anxietate, oppressione praecordiorum, suspiriis, animo deicepto, lassitudine, magna debilitate. WHITE. Quando acutissimus morbus est, ad *anum* die 3 aut 4 pervenit. tunc calor intensior est et pulsus vehemens ac citatus; morbo ingraevcente et ad exitum tendente, debilis fit et inaequalis. WILLIS. Pulsus parvus spasmodicus. SELLE.

(\*\*) Lochia fluere et si quando subsistant, non exinde maligniora symptomata insurgere, nec delirium nec signa hysteritidis ulla apparere LEAKE: negat HULME. Saeps lochia non minui: white; fatetur tamen, febre universo corpore expansa lochia, si non prius fuerint suppressa, supprimi aut fieri parciora. Lochia in febre puerperali plerumque fisti, tradit RIVERIUS; puriformia esse alba, raro foetida, SELLE.

Mammas ad mortem usque lacte turgescere, LEAKE: et ipse vidi. In aliquibus flaccescere, lac minui, nec raro, si malum trahatur, evanescere: white. Decolorari, sin minus minui, hujusmodi purgamenta: HULME, aliis contra negantibus. Absentia vel diminutio, vel retrogressio, vel depravatio lactis mammarum: SELLE.

❧

cosa, aut exsiccatur, indurescit, nigricat, aut crusta,  
qua obducebatur, in fuscum mutatur. Similis fuscā  
materia dentibus adhaeret.

Vomitus alimentorum, exceptis frigidis et aci-  
dulatis.

Alvi deiectiones copiosae, frequentes, putridae;  
alias tenesmus et frequens mingendi pruritus cum  
mira ventris tensione et inflatione, quae passionem  
hystericam aemulantur.

Post quamlibet egestionem plerumque sibi viden-  
tur relevari; paulatim vero alvus et urina contra vo-  
luntatem demittuntur; accedunt sudores colliquativi,  
singultus, tendinum subsultus, convulsiones, mors.

Urinæ generatim saturatissimæ perhibentur;  
quandoque pallent aut turbantur cum filamentis qui-  
busdam innatantibus.

Peticulae etiam et miliaria erumpunt, inprimis  
regimine et medicamentis exaestuantibus admisis-  
tis, quae vero eruptiones cum symptomaticæ esse soleant,  
aegrotantes non levant.

3. *Solutio.* Morbus satis acuta ratione decurrit,  
tantoque celerius, quo lethalior est; plerumque ta-  
men dies undecimus exitium adfert, quamvis non de-  
fint exempla puerperarum, quae intra 24 horas vitam  
amiserint, aut ultra undecimum diem produxerint.

Reapſe

2

Reapse in hac febre nihil critici occurrit, nisi sit diarrhoea. Quae vero cum non semper salutaris, sed symptomatica etiam ac nociva existat; medentis interest scire, quae bene sperare iubeant. Fuerunt, qui ex diebus, quibus contingit, diarrhoeae puerorum salutaris virtutem aestimarent. Quae enim *die tertio* aut *quarto* post partum, SWIETENIVS salutarem declarat, quae prius supervenit, exitiosam i); minus vero constantem esse hanc legem, vel ex eo concicias, quod alii aliter sentiant. Ita RIVERIVS ait: mulieres purgamentorum suppressione laborantes, si post *septimum* aut *nonum diem* alvi fluxu corripiantur, ut plurimum liberari; si vero primis diebus, videlicet *secundo*, *tertio* vel *quarto* diarrhoea acciderit, ut plurimum interire k). Cum de certis diebus, quibus se adstringat diarrhoea salutaris, non conveniat inter auctores; mihi quidem *pulsus* numerare satius videtur, quam *dies*. Nam si *pulsus* ex celerrimo, qui in minuto temporis centum et viginti octo aut centum et triginta micatus edidit, sensim fiat rarius, tardior et moderatior, diarrhoea salutem adfert, contra, si pergit aque vehemens esse ac frequens et murabilis, noxia est, periculosa, symptomatica. Immo cum alia sympto-

A 5 mata

i) Comment. in aph. BOERHAV. T. IV. §. 1331. p. 629. LEVRET  
L'art des accouchements p. 162.

k) l. c. p. 487.



mata videntur cessare, et celeritas ac frequentia pulsus persistit neque febris remittit in ratione directa, haud fidendum sane est, nam brevi ingravescere atque exacerbari tum omnia solent.

#### ¶. 4.

*Unde lethalitas morbi?*

Febrem puerarum morbum esse admodum gravem ac periculosum et numquam fere non exitiosum, in eo consentiunt omnes, quantumvis ceterum dissentiant, febris puerarum scriptores. Ex diariis, quae de mortuis exstant, perspectum est hactenus, febre puerarum unam extingui inter 61, 73, 98; quodsi cogitaveris de numero puerarum, quae febre ista corripiuntur, ad proportionem exiguo, neque omnes indiscriminatim puereras, sed eas fere, quarum vires sedentaria vita, hysterica passione, alia quacumque ratione fuerint imminutae et fractae, in febrem hanc incidere, vix dubitaveris, ratione aegrotantium, quae febri occumbunt, moriferam eam nuncupare et sexui eleganteriori fatalem. Morbus, cuius vehementia brevitati temporis respondet, e causa enascitur, quae vel proxime et propria vi in nervorum ac sensorii destructionem tendit, vel agit in corpus, valide extenuatum, potentiae igitur, cui resistat, impar redditum. Quae cum ita sint, primum se offert in febris puerarum disquisitione causae,

quae

quae pröegumena audit, indagatio, unde potentiae,  
quae accedit, nocivae vim atque energiam intelligas.

§. 5.

*Causa febris puerarum pröegumena.*

Causa febris puerarum pröegumena status  
est a puerperio relictus, seu omnium, quae gravidi-  
tate ac partu alienantur, complexus; quem ut pri-  
mo intuitu circumspicias, eccillum, quem tibi offero,  
schematismum:

GRAVIDITAS.

I. Uterus ab impraeg-  
natione mole augetur ac  
pondere. Vasa ejus ex-  
tenduntur, ut in omnem  
modum intumescat. Cres-  
cit in primis fundus uteri;  
exit adeo de pelvi ad co-  
lon et versus ventriculum  
elevatur.

Sub ultima gestationis  
tempora caput foetus ve-  
sicam versus os pubis an-  
trorum premit. Vesica to-  
ta eliditur, et cum ab ute-  
ro gravidotumente urinac-  
e exenti obstaculum po-

nitur,

PARTUS.

I. Abdominis, quod du-  
rante graviditate distensio-  
nem ac compressionem su-  
stinxit, subitanea post par-  
tum inanitio, viscerum  
fluëtuatio et vasorum re-  
laxatio, ut propter celer-  
rimam sanguinis circuli  
immutationem status par-  
turientium ab animi deli-  
quio proxime mihi abesse  
videatur. Eam ob cauf-  
sam non nimis arête coer-  
cendam abdominis ligatu-  
ram post foetus et secun-  
dinarum exclusionem non

tan-



nitur, tum vicissim a plenissima vesica vagina et uteri ostium comprimuntur.

Pressionem patiuntur intestinum rectum, omentum, vasa hypogastrica.

Facta igitur viscerum quorumdam abdominalium propter uteri molem atque ascensum situs alienatione ac compressione, quisnam dubitaverit de retardato in iis partibus sanguinis circuitu?

Constat etiam, cum uteri expansione eique proportionata partium vicinarum tensione pari ratione increscere sensilitatem nervorum, qui functionibus gastricis praesunt.

2) Mo

tantum admitto, sed saudeo etiam 1) ac miror, esse artis obstetriciae magistros, qui cum minime abhorrent a fascia lata, ventri as critico percussionem a paracentesi passuro circum danda, et ad aquae educationem progredientem magis magisque adstringenda, quo musculis coercendae contentorum moliam imparibus subveniant, tum in analogo parturientium statu fasciationem omnino negligant, immo in universum rei ciant.

Praeter relaxationem partium, quae antea in tensione fuerant, et velocissimum sanguinis, qui

lente

1) Modum, quo tuto fasciari possint ac debeant puerperae, descriptum legas in d. sub praef. Perill. BOEHMERI def. BRUNO de fasciarum cauta in puerperis applicatione. Hal. 1783.

[decorative flourish]

lente movebatur, in vasis hypogastricis expeditio-  
nem notari insuper mere-  
tur iterata omenti atque  
intestinorum irritatio et  
validus ac reciprocus af-  
frictus, cui necessario  
subiiciuntur, dum uterus,  
musculi abdominales et  
diaphragma inter partus  
dolores ac parturiendi co-  
natus vim suam atque acti-  
onem exercent.

**2.** Motus intestinalium peristalticus ab uteri gra-  
vidi intumescentia diffici-  
lior redditur. Fœces col-  
liguntur. Intestini coli  
et reliqui plicis, vi me-  
chanismi, adhaerent sordes,  
in statu secundum  
naturam vix et ne vix qui-  
dem remansurae. Accedit  
mora sordium diurna,  
loci humiditas et austus ex  
plethora abdominali ca-

lor,

**2.** Sordes gastricae ac  
fœces in intestinalibus colle-  
ctae ex partus labore, fe-  
bre, quae partui superve-  
nit, laetitia indeque austro  
calore et commotionem  
ferunt et novam induunt  
speciem corruptionis.

**3.** Cum



lor, unde foeces atque impuritates collectae singularem ad putrescendum dispositionem acquirunt.

Inde multivaria gravidarum incommoda. Alvi obstructio vel parciores, quam qui assumtorum copiae respondeant, secessus. Alia, quae conditione gastricae numquam fere non rectius tribueris, quam sanguineae; in primis cum cogitaveris nervos uteri per mutuam inter par vagum et intercostale connexionem miram habere cum nervis ventriculi communicationem, et maximum inter omnes reliquas corporis partes et canalem alimentarem intercedere consensum.

3. Sanguis menstruus retinetur et ad uterus convertitur, ex quo secreti tenu-

3. Cum lac in femina grava nasci iam cooperit, facta est in puerpera chy-

li

tenuiores liquores foetus nutritioni inserviant. Quam ob rem plethoram in totum ex caussarum symptomatum graviditatis numero minime relegandam, putaverim. Soluta ea tertio in primis vel quarto mense, ex sanguine per priores menses retento, utpote qui neque utero neque foetui omnis impenditur, sensim succrescere, maxime in iunioribus, robustis, calidae temperie feminis, fluxvi menstruo largo asfuetis.

### §. 6.

*Causae febris puerarum procataractae,*

Conditionibus igitur (§. 5.), quas gravidae ac puerperae proprias sunt naestae, quaeque sub latitudine sanitatis continentur, perspectis, non difficile intelligitur, qui fieri possit, ut si causa occasionalis receptivitati accedat, ex hujus cum illa connubio diversa in puerperio exsurgent febrium genera. Neque enim

li plethora, quam foetui suo mater impertiebat. Hinc secretionis lactis in mammis et purgationis uterinae maxime salutaria ac necessaria negotia.



enim potentia efficax est, nisi in corpus inciderit impressioni eius recipienda aptum, nec diathesis seminalis in morbum erumpit, nisi vi quadam appropria ta excitetur. Hinc febris puerperalis genesin ratione in universum sequente propono:

1. Quae febris puerperalis feminia naturalia sunt, puerperis propria, vel aegrotatione vel diaetae erroribus, durante graviditate frequentius admissis, ita exasperari queunt, ut ex leviore omnino irritatione, qualem partus sifit naturalis, in morbum abeant.

2. Quae ab insignioribus diaetae peccatis cave runt sibi, gravidae quidem, vi seminii naturalis incident in febrem, si forte a partu caussae cuiuscumque occasionalis graviorem impressionem patientur. Ad id genus caussarum praeter ipsum partum laboriosum, manu praeprimis rudiore ac ferro absolutum, pertinent minus aëris temperandi et renovandi studium; minor munditiae corporis diligentia; potus calidus, calefacientia quaeque, assiduus in lecto decubitus, stragulorum multitudo, cubiculum angustum, occlusum, nimis calefactum; regimen sudoriferum; vinarum, aromaticorum, imprudens usus; pathemata animalia; febris lactea validior, diuturnior, male curata. Notari vero meretur dupli ratione plurimum peccare puerperas: in mala nimirum vietus ratione ac frigoris susceptione. A vietu animali pleniore iurulento, quo imma-



immaturius utuntur, statim in visceribus indigestio ac magna molestiae, in sanguine vero ex succo nutritio debito opimiore turgescentiae oriuntur febiles. Frigore autem suscepto, cum intra diem unum aut alterum aut citius, quam oportuit, vestibus induuntur, praecipue urgente febre ex lacte, quae per sudores et diaphoresis solvi consuevit, non solum transpiratio cohibetur, unde febris illa, quae per se salutaris erat et paucis diebus cessatura, in periculosam mutatur, sed etiam lochia non raro fistuntur, aëre ad partes uterinas penetrante.

3. Praeter gravidarum ac puerperarum in diaeta errores et partus difficilioris irritationem, constitutio epidemica et ea, quae propria est puerperis ad aegrotandum proclivitas in febrem puerperarum consentiunt.

### §. 7.

*An febris puerperalis epidemice occurrat?*

Invaluit aëtorum mos, ut de febre puerperali epidemica differant. At ne vocem istam in sensum a veritate abludentem detorqueas, id quod fieri posse recentiorum quorumdam, qui celebritatem nacti sunt, medicorum exemplis constat; non prorsus inutile ac tempore indignum videtur, unam et alteram huic rei animadversionem adiicere. Ex eo iam, quod febrem hanc numquam fere non in nosocomiis epidemice dif-



fusam viderunt autores, non levis erroris cuiusdam  
subreptitii ad me perfertur suspicio; etenim quaero:  
cum id febrium genus multo quidem frequentius ac  
funestius in nosocomiis obstetriciis, quam in domi-  
bus privatis ac peculiaribus occurrat? et plura inve-  
nio, quae morbi in nosocomiis frequentiam ac leth-  
alitatem inferant. Cum nosocomiorum aer miasmati-  
bus putridis, quae ex aegrorum corporibus manant,  
et lestulis, stragulis ac parietibus adhaerent, plus  
minus contaminatus atque infectus esse consuescit;  
rum alvi potissimum deiectiones putridae, quae fe-  
brem hanc comitantur, foetore totam domum infi-  
elunt et contagionem per universam puerperarum co-  
habitantium gregem diffundunt; quibus si addas, lo-  
chia in uteri aut vaginas cavae restituantia propter ca-  
lorem et humiditatem horum locorum et stagnationem  
in iisdem ad putrescendum certe paratiissima evadere,  
hinc tetram mephitim exhalare, et foetidum nidorem  
emittere, et in nosocomiis parturientes inopia fere ac  
moerore esse consumtas, te quidem ingenue fateri  
oportet, depravatam in nosocomiis aeris constitutio-  
nem, et alia, quae circumstant, epidemicam auto-  
rum aliquando simulasse. Neque vero haec ita intel-  
ligi velim, quasi nihili habeam febris annuae, et quae  
constitutioni praeceps rationem. Cum enim compre-  
sum sit febrem puerperarum sub febre epidemica aut

annua



annua observatam ejusdem cum epidemica aut annua indolis fuisse, ut carum STOLII caput febre in pueralem non diversam censuerit a regnante, modicatam solum a puerperio m); maximi omnino momenti lex sequitur, ne eidem ad speciem morbo sub diverso febris annuae vel epidemicae dominio medicinam eamdem faciat medicus, sed notionem practicam et morbi directricem ex febris epidemicae vel annuae natura, cum febre puerperali stationaria collata, desumat. At si magis tibi placuerit febris puerperalis epidemicae vox; vide, ne epidemiae notionem latius quam par est, extendendo in posterum lepida prorsus ratione differentes audias medicos de apoplexiis, abortibus, malis innumeris epidemicis, quae utut a caussis singularibus produeta, a febre dominante nihilo minus reguntur.

### §. 8.

*Potiora quaedam febris puerperalis genera.*

Hactenus de caussis febris puerperalis possibilibus dictum est, quae vel sola ad febrem inferendam proclivitate continentur vel ad proclivitatem accedentes febrem efficiunt. Ex earum confluxu causa febris puerperalis proxima gignitur; quae cum admodum variae ac multiplices sint, et natura ac gradu di-

B 2 versae,

m) Aph. de cogn. et cur. febr. §. 789.



versae, caussa proxima certo definiri non potest, sed itidem differt, ac diversa, quae ex causarum remotorum concursu enascuntur, febrium genera:

*1. Febris gastrica simplex.*

Ex intempestivo carnium esu. WILLIS l. c.

Hist. 3. Ex perspiratione cohita et prava primarum viarum colluvie biliosa. WHITE l. c. O. 4. Febris a saburra gastrica, putri excitata, in ipso ferme ortu repressa. Id. l. c. O. 5.

Signa saburrae. Salus a vomitu, diarrhoea.

*2. Febris gastrico - lochialis.*

Saburra primarum viarum; lac repente repulsum; lochia imminuta. WILLIS l. c. Hist. 1. Febris a cibi copia, frigore suscepito, cui lochiorum accedens suppressio exitium attulit. Id. l. c. Hist. 4. Febris ex lochiis et diarrhoea cohabitibus, evacuatione utraque revocata disparuit. Id. l. c. Hist. 5. GASTELLER. l. c. O. 2. O. 3. O. 4. O. 7.

*3. Febris gastrico - putrida.*

Cacochylia primarum viarum cum putrida sanguinis dissolutione. WHITE l. c. O. 1. Salus a regimine refrigerante, aëris cubiculi renovatione, ipecacuaná, cortice. Ex constitutione putrida: SELLE Beitr. 2. Natur- und Arzneiw. P. 2. p. 119. sq.

*4. Fe-*

4. *Febris gastrico-inflammatoria.*

Febris puerarum cum constitutione bilioso-inflammatoria. SELLE Beitr. z. Natur- und Arzneiw. T. I. p. 45. sq. RICHTER über d. Entstehung und Behandl. verschiedener Arten v. Fiebern. pag. 241. sq. p. 253. sq.

Signa colluviae biliosae et diathesis phlogisticae. Salus a methodo antiphlogistica et evacuante primas vias. Complicationis vero notantur varietates tres:

- a) Ubi diathesis phlogistica praevalet, curatio exponit, ut methodus antiphlogistica praecedat evacuantia.
- b) Ubi praevalet saburra constitutionem gastricam, curatio vult, ut evacuantia praecedant methodum antiphlogisticum; quare fit, ut phlebotomia utilitatem nullam praefert ante evacuantium usum, dum post eum efficit eximum.
- c) Ubi fere aequali conditione diathesis phlogistica cum saburra coniuncta est, utraque methodus curativa alternare debet.
- α) cum inflammatione uteri.

LE ROY l. c. p. 202. sq. POUTEAU Melang. de Chir. p. 182. GASTELLER. p. 108. Misc. N. C. Dec. I. an. 2. O. 85. an. 4. O. 195. Dec. II. an. 4. O. 94. Dec. III. an. 1. O. 22. ann. 3. O. 123. I. P. XAVER FAUKEN das in Wien im J. 1771. etc. v. Comment. Lips. Vol.

XIX. p. 289. SWIETEN Comment. in Boerh. §. 1329.  
SELLÉ l. c. T. 3. p. 100.

β) cum inflammatione omenti, intestinorum,  
peritonaei.

LEAKE. HULME. SELLÉ l. c. T. 2. p. 118.

γ) cum inflammatione ventriculi. SWIETEN l. c.

δ) cum inflammatione pectoris.

RICHTER l. c. p. 241. sq. ex constitutione catarrhalis  
p. 958. sq.

ε) cum inflammatione cerebri.

PHRENITIS LOCHIALIS aut. GASTELLER. l. c. O. I.  
O. 5.

### 5. Febris putrido - inflammatoria.

Causa est morbus putridus. Signa, quae primis diebus diathesin phlogisticam indicant aut aliquius alicubi inflammationis suspicionem iniiciunt, non diu perdurant et mox commutantur in ea, quae veram naturam putridam manifestant.

Salus ab antisepticis. FAUKEN l. c.

### §. 9.

*Non est specifica febris puerarum.*

Ex paragrapho antecedente satis constare nunc arbitror, febrem puerarum non esse specificam, sed pro ea, quae invaluit, ad morbum vel faburrudem, vel inflammatorium, vel putridum dispositione et varietate caussarum earumque noxia potestate varia

etiani



etiam febrium genera consequi, modo hysteritidem, enteritidem e. s. p. modo febrem gastricam, gastrico-lochiale vel gastrico putridam e. s. p. et ex his omnibus alia benigna et pura, alia maligna, perniciosa ac complicata. Prae ceteris vero crebrius occurrere febres gastricas et lochiales simplices et quae ex his coalescunt gastrico lochiales, gastrico putridas, gastrico inflammatorias, eamque ob caussam impuritates collectas numquam fere non primam sui remotiōnis indicationem offerre, de eo ita minime dubitatum quemquam arbitror, ut curatissime secum penderit

1) cacoxyliam primarum viarum in gravidis collectam (§. 5.).

2) febris puerperalis ea, quae se maxime efferunt, symptomata: vomitus, inquam, biliosos, virides, porraceos, nauseas, ventris inflationem, tormina, alvi fluxum, tenesimum, et quam sectio monstravit, bilem crassam, corruptam in cystide.

3) crisin, quae, si ulla, exspectanda est a diarrhoea.

4) auxilia artis, quibus potissimum sublevatur puerperae: emetica, eccoprotica, bilem corrigentia, acescentia, antiputrida cuiusque generis.



## §, 10.

*Phaenomenon febris puerperalis explicatio.*

Neque difficile nunc erit perspicere, quae epigastrii, taclum subinde recusantis, tensionem inferant ac dolorem, quaeque lactis seu humoris lactiformis sit ratio, quo cavum abdominis interdum scatere videunt. Quod enim vehementissimos illos, de quibus puerperae queruntur, ventris cruciatus attinet, inflammationem viscerum comitem eorum esse individuum, male omnino argueris, cum inflammationem adesse posse et abesse, sectione comptum sit. Quodsi ab alia comuni puerarum ac perpetua causa ventris dolorem repetamus, necesse est, respiciamus, quae nobis obviam fiant

- 1) auctam gravidarum sensilitatem, sive augmentum hoc vi graviditatis mechanicae, seu tensioni partium nervosarum et mutato fortassis nervorum itineri (\*) sive characteri peculiari generi nervorum impresso tribueris (§. 5.).
- 2) novum, quod ex partus labore sensilitas capit augmentum (§. 5.).

3) in-

(\*) Sub lenta partium in imo ventre sitarum ab utero intumescente diductione ac tensione telam cellulosa tam diversas mutationes subire, ut ubi restricta antea fuerat, non raro exuberet, alibi vero in auctiora vincula concreseat, adeoque in locis, qui nullos antea receperant nervos, alias nunc condat ac recipiat, sic cursum nervorum perturbari et loca sententia insensibilibus quasi confusa videri, haec quidem pro hypothesis hoc loco sint,

3) insignem colluvie gastricae acrimoniam (§. 5), quam foetor deiectionum declarat. Habes igitur et aptitudinem sentiendi mirifice auctam (1. 2.) et irritamenti genus, (3.) quod dolori acerrimo sufficere, non absimile dysenteriae exemplum suader. Accedit ad hoc ex musculorum abdominalium post partum relaxatione et inducta omento, intestinis atque utero debilitate (§. 5.) aucta humoris lymphatici versus cavum abdominis congestio, unde impuritates, acrimoniam nausta, nescio quam rarefactionem atque aeris mephitici explosionem patiuntur, ut nova perpetuo irritationis atque intumescentiae causa crescatur. Dolores ipsi non febris tantum, sed etiam sanguinis et lymphae impetum versus loca maxime debilitata augent. Neque igitur mirandum, uterum potissimum, omentum et intestina ad inflammationem concipiendam paratissima evadere et humoris sic dicti lactiformis extravasationi ansam praebere. Quod quidem phaenomenon cum tantam temporibus nostris celebritatem sit natum, ut viri sint celeberrimi, qui in metastasi lactis ad abdominis viscera essentiam ac differentiam febris puerperalis naturalem ponant, dignum.

4) Primas huius theoriae lineas duxerunt Ruzos et SWIETEN. Ornavit eam et supremam ipsi manum imposuit celeberr, SELLE med.



num omnino videtur argumentum, de quo pa-  
lo prolixius differamus.

§. II.

*Recentiorum iudicium de metastasi lactis ad abdominis viscera.*

Quibus argumentis theoriam de metastasi lactis recentiores firmare student ac suffulcire, ea fere, ut breviter strictimque dicam, haec sunt. „Post mortem colluvies purulenta in cavitate abdominalis reperitur, quae solius et consuetae intestinorum atque omenti inflammationis productum esse nequit, quoniam haec inflammatio cum suppuratione numquam est in ratione directa; quoniam id inflammationum genus saepe ex humoris extravasati acredine oritur, dum partes tan- tum externae inflammatiae vel erosae deprehenduntur, et numquam vel saltim rarissime extra puerperium haec humoris puriformis collectio intestinorum atque omenti inflammationem sequitur. Hanc vero mate- riam lac vel lympham corruptam esse inde patet, quod morbus saepe immediate retrogressionem lactis e mammis sequatur, quod ineunte hoc morbo lactis in mammis depositio locum non habeat, quod humor lacteus in mammis corruptus in omnibus qualitatibus cum eo, qui in cavitate abdominali reperitur, sit consimilis, et lactis ad alias partes metastases possibilita-

tem

med. clin. p. m. 544. sq. Beitr. etc. T. I. 2. 3. Rud. pyretol.  
Edit. 2. Berol. 1786. p. 283. sq.

tem metastasis ad partes abdominis internas eo maiori pondere evincant, cum omnes hae partes peculiari nexus inter se iunctae sint. Caussam vero, ob quam praecipue partes genitales internae copiam hujus humoris contineant, in eo coniiciunt, quod in singulari sympathia cum mammis sint ideoque ex lactis secretionis anomalia praecipue afficiantur. Cum enim lymphae, quae tanta copia ad uterum graviditatis tempore affluit, uteri contractione obex ponitur, tum eadem lympha ad alias partes, praecipue mammas congeri debet, his vero obstructis stasis concipere in aliis partibus. Est ergo affectio spasmodica, qua motus humorum lymphaticorum invertitur, quaeque varia irritamenta pro causa agnoscit. Ubi non datur metastasis lactis ad abdominis viscera, febris aliam omnino refert naturam, quam puerperalis, si quidem ea vox notioni systematis naturalis genericae respondeat “.

§. 12.

*Animadversiones quaedam circa theoriam de congestione lactis  
ad abdominis viscera.*

Rationibus his optime quidem et ingeniose ex cogitationis nonnulla tamen impediunt, quo minus acquiscere possim, quaeque vel ipsum morbi phaenomenon vel morbi ex phaenomeno inductionem respiciunt.

Hinc





Hinc commodum videtur, quae mihi supersunt dubitandi rationes, duplici isto respectu comprehendere.

§. I 3.

I. Circa phaenomenon.

Ut me primum convertam ad sectiones cadaverum, quae, ut mea fert opinio, potiora huius theoriae fulcimenta constituunt, materia illa, quam circa intestina et alia viscera effusam reperiri dicunt, pusne verum subinde fuerit atque inflammationis productum, cum reliqui non dubitarunt auctores, tum modo lactis depositionis patronos haud quidem de ipsa puris natura, at ea de re vides ambigere o), utrum materiam collectam inflammationis sobolem esse fateantur, an repeatant potius a metastasi lactis, cuius semel in se suscepserunt patrocinium (\*). Quae cum ita sint, suspicor equidem, in aliis etiam exemplis, ubi parum obscurior fuit

o) SELLE Beit. T. 2. p. 58. sq.

(\*) Mira est puerarum ad pyogeniam proclivitas. Vbi vero pus nascitur in parte affecta, nascitur coctione lymphae simplici, dum lympha ope inflammabilis non raro pinguedinis vel largius secretae vel fusae mutatur in pus aut serum ope inflammabilis mutatur in lympham, et haec coquitur in pus nutritivum BERLINGIERI (1 mpham parum mutatam per inflammabile, spissam, glutinosam, aqua graviorem, quasi albuminis ovi striatam). Pus natum simplex mora, acrimonia nata vel stimulo externo adhibito, eredit solida, cellulosam, vasa, nervos, tel. BERLINGIERI pus corrosivum, ichor auct. (pus minus spissum, minus glutinosum, aqua levius, foetidum, acre)

fuit puris diagnosis, liquorem illum, serum lactis referentem, vel pus tenue fuisse ab intestinis inflammatis expressum s. exsudationem inflammatoriam HUNTERI, vel lympham concrescibilem illinc effusam et corruptam, vel chylum, ex venis fortasse lacteis ruptis, laceratis, exesis (\*) aut sphacelo destruetis apertisque cum lymphatico latice stillatim emissum, quae pro semi coagulato lacte imponerent. Etiamsi igitur largiar, materiam in cavo abdominalis deprehensam, subinde aliam omnino fuisse quam purulentam, minime tamen in *lactis* denominationem consentio. Quodsi enim lactis aberratione causa febris puerperalis primaria continetur, equidem nullam omnino rationem invenio 1) cur lactantes subinde febre puerperali satis periculosa corripientur, non lactantes ea immunes sint? 2) cur lac aliquando copiosum, praesente hac febre, in mammis secernatur, eoque mammae ad postremum morbi stadium manifeste turgeant p)? 3) cur subinde parcior, immo omnino nulla sit lactis in mammis secretio, neque uteri purgatio in locum actionis mammarum surroganda copiosus succedat, quin tamen aliquid mali puerperae patientur, et multo minus febrem puerperalem? 4) cur

eamdem

(\*) Id, quod probabile reddunt secessus dysentericorum albicanter, non semper quidem, interdum tamen ab erosione tunicae intestinorum villosae originem trahentes.

p) GISECKE Abhandl. u. Beobachtungen a. d. Arzneigelarheit p.  
136—160, Comm. Lips., vol. XXII, p. 131.

C



eamdem nutrices, quando alumnos dimitunt atque a  
mammis lac abigunt, non pari ratione experiantur?  
5) quare liquor, natura videlicet blandissimus ac tempe-  
ratissimus, febrem malis moris accendat, inflammationi-  
bus, tumoribus, abscessibus, doloribus tam interiorum  
quam exteriorum partium ansam praebeat, nisi alia quae-  
dam causa intercedat, morbus, inquam, varius, cui verius  
atribuas eiusmodi phaenomena? Etenim constat, si lac  
in mammis mora, stasi et calore fuerit corruptum, quid-  
quid in sanguinem revehatur, plerumque nisi nimia copia  
et repentina ac subito impetu repellatur, aut alvi fluxu,  
aut sudore, aut urina, aut alia via aut pluribus, non diffici-  
le citra magnum valetudinis incommodum expelli; quid-  
quid vero coactus in mammis resolvi nequeat, tumores  
plus minus duros aut abscessus, curatu non admodum  
difficiles et periculi fere expertes creare.

Cum explicandis phaenomenis, quae febrem puer-  
perarum comitantur, lactis blandities haud sufficit,  
hinc alias et efficacioris caussae interventu opus esse vi-  
derur; tum abscessus, quos lacteos dicunt et quibus in-  
nituntur metastasis lactis fautores, non ita manifestam  
offerunt lactis naturam, ut ne liceat de ea ambigere.  
Materia lacti similis prosectoribus frequenter obviam fa-  
cta est in abscessibus externis, internis, ubi suspicio aut cul-  
pa lactis nulla adduci potuit. Secta est vena brachii viro  
recte valenti, at valde plethorico, et multo plus humo-  
ris

ris lacti simillimi, quam sanguinis prodit q); idemque pluries observatum in iis fertur, qui assidue equo vehuntur. Ex quibus elucescit, inesse sanguini et humoribus nostris materiam, quae si aut copia excesserit, aut non intime cum sanguine misceatur, aut aliqua ex caussa a sanguine secedat et alicubi consistat, humorem albicantem aut lacteum referre possit aut lacti similis videri. Num, quae so, tumores et abscessus, qui circa uerum, uteri ligamenta, intra musculos iliacos et psoas aut ad inguina et femora aut ad alias partes puerperis obveniunt, iure maiori lactis tribueris repulsioni vel retentioni, quam lymphae in tela cellulosa depositioni et stasi, ut nihil nunc dicam de utero gravido, tumente, et proximas quasque partes urgente; de vi, quam eadem partes sub iteratis partus nisibus passae sunt; de circuitu humorum impedito; de materia purulenta intra vasa genita et vi vitae alicubi deposita.

Cum vero temporibus novissimis, quamvis eo titulo etiamnum recensere consuecant febrem puerperalem, a strenua lactis defensione eatenus desistunt, ut lacti substituant lympham, cum lacte acri aut repulso commixtam, cumque liquor, qui evidentissimam ad sensum lactis naturam exhibuisse visus est, ex Cl. HERMBSTAEDTII experimentis lac quidem retulit, sed alcalino volatili sale impraeognatum r), tum in disquiren-

C 2 da

q) Hist. ac. sc. Par. A. 1751.

r) SELLE Beitr. T. 3, p. 101. et 104.





da humoris extravasati natura non ita difficilem me geram, et ad alteram animadversionum particulam progrediar.

§. 14.

2. *Circa morbi inductionem.*

Quodsi in lymphae, quae vel abundans vel a conditione sana deflectens partes omnino agit in morbi cursu, circa abdominis vel pectoris cavum circumludentis fida atque attenta consideratione subsisterent de mortuarum scrutatores; gratam omnino opem ferrent scientiae medicae, et cuiusque arbitrio relinqu posset, quae magis arrideret, lymphae an lactis idea? At vero in eiusmodi humorum extravasatione *differentiam febris puerperalis naturalem*, uti iam supra monuimus, collocandam putant, ideoque febrem pueralem in morborum systemate singularem sibi titulum vindicare, est de quo nobis persuadere studeant. Argumentis vero, quibus pro ista sententia confirmanda utuntur, an ea vis insit, quae ad persuadendum requiritur, ex sequentibus haud difficile poteris diiudicare.

a) Si metastasis lactis (nam nihil nunc interest, sine humor lacteus ne nec?) ad abdominis viscera *differentiam febris puerperalis naturalem* constituit; dolo equidem, characterem illum genericum certum sui indicium nullum praebere homine vivo et non nisi mortuo recludi. Cum ideo non facit ad diagnosis morbi, tum morbi potius effectum, quam naturam designat.

Non



Non nescio quidem, ad varia signa provocari ab auctoribus, quae factam esse lactis ad abdominis viscera depositionem, si non evincant, tamen probabile reddant: v. c. abdomen maxime tensum et elevatum, dolores vagos lancinantes in tota abdominis regione, absentiā, diminutionem, retrogressionem lactis mammārum, lochia puriformia alba.

Quod prius attinet momentum, vehementes epigastrī cruciatus ab alia omnino caussa, quam metastasi lactis pendere monstratum est. (§. 10) In febre puerarum biliosa similem ventris dolorem et elevationem occurtere celeberr. SELLES expertus est, et si forte huius theoriae fautores ita se obfīrmarunt in lactis depositiōne, ut nullam omnino, nisi hanc ventris dolorum caussam admittant; ii n̄ae videant, quo modo caussam hanc demonstraturi sint in iis puerperis, quas febre puerperali, proprie sic dicta, decubuisse farentur et reconvaluisse sibi gratulantur, siquidem in mortuis tantum autopisie locus datur.

Neque lactis in mammis imminutionem aut retrogressionem metastasis eius ad abdominis viscera indubia ratione evincere existimaveris, cum febre exorta diu adhuc mammas lacte turgere memineris. Neque certius metastasis indicium lochia albida praebeat. Non pauci quidem ex medicis simul ac vident lochia pallida aut albida fieri, mox dicunt lac ad uterini converti atque ex eo prodire, nulla temporis, quo id evenit, habita ratione. Sed ut plurimum pallere incipiunt et etiam albicare, febre

C. 3 lactea

s) Beitr. T. 2. p. 76. sq.

laetitia accedente, aut lacte in mammis secerni coepito, aut mammis iam lacte repletis. Non ergo tunc eiusmodi decoloratio lochiorum lacteum ad uterum converso tribui potest. Immo frequentius, et citius albicant in lactantibus, in quibus certe, cum lac ab infante exsugatur, ipsum deferri ad uterum haud verisimile est. Nam si ex lacte lochiis admixto albidus iste color oriatur, albicare profecto multo magis in non lactantibus post lactis e mammis refluxum, non in iis, quae lac praebent, aut in iis ad summum, in quibus nulla in mammis secretio lactis apparuit; quamquam in his posterioribus dubium esset, num ex mixtione lactis lochia tum vere decolorarentur; quia neque lac sub forma lactis in sanguine inest, neque uteri fabrica, utpote quae glandulosa mammarum structura eget, ad illud secernendum apta videtur. Albicant igitur lochia, quod vasa, quae sanguinem rubrum exonerarunt, iam contrahi incipiunt et humorem serosum ac lymphaticum transmittunt, vel quod materia purulenta decolorantur, ut ex foetore, quem tum exhalant, aperte liquet.

## §. 15.

Continuatio.

b) Si metastasis lactis ad abdominis viscera differentiam febris pueralis naturalem constituit, necesse est, ut ea conditio pueris sit exclusive propria. Cuius exempla contraria neque haec singularia, sed obvia passim periuntur apud observacionum medicarum scriptores.

Tumor in abdomen iuvenis inventus, qui continebat 7 libras cum dimidia materiae albae, partim lacti  
partim

partim caseo similis. Hist. acad. Paris. a. 1729. p.

17. 18.

Humor lacteus magna copia in abdomen puellae septennis inventus cum mesenterio scirrhoso vel materia quadam albicante et quasi cretacea infarcto. Puer aescite laborans, cuius abdomen latice quadam mere lacteo repletum deprehendebatur. LIEVITAVD Hist. anat. med. T. I. p. 257. et 258.

In muliere consistentis aetatis, quae nec puerpera erat nec partui ulli proxima, ex peripneumonia intra quinque dies mortua, sinistrum thoracis cavum sero repletum, quod a pure admixto albicare libentius dixisses, si nulla puris hic fuissent indicia. Eodem albido humore turgebat pericardium. Superficies omnis pericardii interior, exterior autem cordis, auricularum, magnorum vasorum obducebatur materia quadam ex albo cinerea, nihil magis quam calcem parieti modo inductam referente; neque tamen cor aut pericardium, ea deterfa, erosum aut suppurratum apparuit. MORG. Ep. anat. med. 45. n. 16.

Paracentesis bis instituta in puella octenni, aescite et anasarca laborante, qualibet vice insignem copiam humoris lacti cum aqua remixto similis eduxit. PERCIVAL. Eff. med. and experiment on the following subject sete. p. 232.

Addit. BYRSE RIVS. l. c. p. 530 se quoque pluries in cadaveribus tam morbis acutis, quam chronicis denatorum et quidem virilis sexus, pericardium humoris lacti simillimo plenum, cor vero materia quadam caseosa circumdatum et foedatum deprehendisse, ea vero abstensa nullam aliam labem, nisi leviori inflammationem apparuisse.

Cum



Cum igitur plura morborum genera nimis facilem lymphae secessionem communem habeant; febrem pueralem ad ea satius videtur revocare, quam differentiam eius naturalem a phaenomeno communis repetere.

### §. 16.

#### *Continuatio.*

c) Si metastasis laetis *differentiam febrium remittentium naturalem* ponit in systemate morborum, *differentia eadem naturalis viam pandere* debet ac medendi rationem, sicut eam indicant febres remittentes cum colluvie impura primarum viarum, cum colluvie verminosa, ex ulcere interno, viscerum obstruktione, quae cum febre puerperali, uno atque eodem ordine continentur t). Cum vero in medendi negotio nullum habeamus materiae congestae respectum, sed morbi, qui subest, gastrici, inflammatorii seu putridi vel ex his complicati; *differentiam, quam ponunt, naturalem scopo, in quem morbi ratione systematica digeruntur, artis, inquam, commodo non magis inservire* appetat, quam specierum remittentis puerarum delineationem, quae febrem sustunt cum constitutione biloſo inflammatoria, ex animi pathemate, refrigerio, inflammatione u), ideoque partim ex remotoribus in longa causiarum serie, partim e variis, qui subesse possunt, morbis conflatae sunt, ut haec tenus saltim febrem pueralem proprium sibi locum vindicare in systemate naturali haud dum evictum sit.

t) v. Rudim. pyretolog.

u) SELLE rud. pyret. l. f. c.





108  
PICA

2

H

x-rite

colorchecker CLASSIC



14

DISQVISITIO IN AVGVRALIS MEDICA:  
AN  
**F E B R I S**  
**A PVERPERIO DICTA**  
**PROPRIVM SIBI LOCVM**  
VINDICET  
IN SYSTEMATE NATVRALI?

QVAM  
**CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI**  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE  
**D. PHIL. ADOLPHO BÖHNERO**

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI  
A CONSILIIS INTIMIS  
FACVLTATIS MEDICAЕ SENIORE  
ET H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS  
A. D. V. JVLI 1588.  
FVBILICE DEFENDET

AVCTOR  
**FRIDERICVS CHRISTIANVS KESSEL**  
RASTENEVRGO - BORVSSVS.

HALLAE  
TYPIS GRVNERTIANIS.

